

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5016

Auteur(s) : Innocent II [pape]

Bénéficiaire(s) : Jean de Neuville, Sées (évêque)

Genre d'acte : bulle

Authenticité : non suspect

Datation : 1137, 8 avril

Lieu d'émission : Viterbe

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Le pape Innocent [II] confirme à l'évêque Jean de Sées l'arrangement proposé par le roi Henri [Ier] d'Angleterre d'un différend survenu entre l'évêque, d'une part, et les moines de Saint-Martin de Sées et le comte Guillaume de Ponthieu, d'autre part.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 12, p. 67-69.

Texte établi d'après a

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei. Uenerabili fratri Iohanni Sagiensi episcopo eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Priuilegia et concessionès, quas catholici principes pro sua deuocione sacrosanctis ecclesiis conferunt, iuxta scita sanctorum canonum inuiolata et inconcussa perpetuis debent manere temporibus. Ideoque diffinicionem a filio nostro gloriose memorie Henrico Anglorum rege inter te, uenerabilis frater Iohannes episcope, et monachos sancti Martini necnon Willelmum comitem Pontiuorum pacis intuitu rationabiliter factam tibi tuisque successoribus confirmamus, ut uidelicet quod ab utroque latere stagni a monachis uel eorum hominibus usque ad eam diem fuerat occupatum quodque supra calceatam est, que ab eisdem monachis iuxta dicti stagni fuerat edificata refluxum proprium, iure perpetuo fieret monachorum, reliquum uero stagni corpus proprium pari iure maneret episcopi et ab omni comitis et monachorum consuetudine semper esset immune. Conuenit quoque, ut molendinum eiusdem stagni episcopus in suo poneret, ubique uellet, data pari monach(is) facultate refluentem aquam edificiis uel aggeribus aut qualibet arte repellere, ut tamen ultra finales metas porcionis sue nichil illud amplius occupare, sed et eisdem cessantibus excludere aque refluentis incursum episcopus ab eleuanda calceata sua, quantum uoluerit, non poterit prohiberi uel mediam uero superiorem calceatam monachorum et ultra ipsam licebit episcopo aque perquirende et ad stagnum suum conducende causa alueum facere, quotiens opus fuerit, et purgare pontem in eadem calceata ad necessarios actus monachorum iure perpetuo subsistente. Ex causa quoque eiusdem compositionis concesserunt episcopo ecclesiam sancti Germani, quam habebant in uilla, que uocatur Alodium, cum omni decimacione et pertinenciis suis, capellam quoque et omnem terram, quam in eadem uilla quocumque titulo possidebant. Predictè uero ecclesie sancti Germani et omnium, que in prenominata Alodii uilla ad monachos pertinebant, concessionem ab eis factam prenominatus comes Guillelmus et Paganus de Manso Daud, ad quorum ius eadem pro parte spectabant, presencia sua et uiua uoce firmauerunt.

Que quidem omnia sub tali sane districtione firmata sunt, ut quicquid in partem cesserat monachorum, totum hoc comitis nomine possiderent, quod autem ad episcopum exinde peruenerat, prefati regis tantum nomine niteretur. Nulli ergo omnino hominum fas sit super hiis, que in hac concessione continentur, te uel successores tuos uel Sagiensem ecclesiam ausu temerario perturbare uel ea auferre, minuere aut aliquibus uexationibus fatigare. Si qua ergo in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre confirmationis paginam sciens contra eam uenire temptauerit, secundo tercioue commonita, si non congrue satisfecerit, donec resipiscat, excommunicacioni subiaceat.

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus.

Dat. Viterbi [per manum Aimerici sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis et cancellarii] VI idus aprilis, indictione XV, incarnationis dominice anno M^oC^oXXX^oVII^o, pontificatus domini Innocencii pape II anno VIII^o.